TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0819**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

MANOSCRITTI
FONDO BIBL.
DAL N° 819
AL N° 825

819

26 : 44 : 88

Ventisei 88

56

Quarantaquattro

Ottantotto

2000

2000

[illegible]

£4:—

Ottantotto

1832

1832

6.10

12. 81.5

1. 5 7

9 05.6

5.10 2.10

2 . 8 1. 5

17

1.15 5.05

1.15 14.27

12

1.12

5.05

14.27

1.15

15.92

15

Acquisto 9 Agosto 1886

In obitum

Nob.^e Co.^{sse} March.^{sse} Juliæ

Ex Co.^{um} Antoninorum Utinensium

Clarissimo Genere

Nob.^s Co.^s March.^s Fabii de Colloreto

Utinensis

Conjugis castissimæ, suavissimæ

Carmina

Nob.^i Co.^i March.^i Philippo de Colloreto

ejusdem Fabii

Spectatissimo, ornatissimo Fratri,

Equiti Melitensi,

Et FRANCISCI I. Imperatoris Austriæ,

ac Regni Lombardo-Veneti Regis

Cubiculario

A Josepho M.^{ria} Cossio J. U. D. Judice Pacis Utini

Dicata.

Nob.^s Co.^s March.^s Philippo de Colloreto.

Philippo de Colloreto.

Fęda juvent alios numeris committere laudes

Pręcipue castis ipse, piisque feram.

Qualis nota fuit tua Fratria, docte Philippe,

Quale et Colloretum est genus omne tuum.

Illa modo, viridi fatis erepta juventa,

Feminei sexus illa honor, et specimen,

Cunctorum ingenti perstrinxit corda dolore,

Fecit et in lacrimas lumina dissolui.

Materiem numeris elegi hanc tristibus aptam,

Tu modo prębe aures, o mi Eques, atque fave.

Joseph M.^ria Cossio.

Ode.

Celsa constiteram rupe bivirticis
Parnassi, cupidis auribus ut modos
Iucundos biberem Pieridum Viros
Dignos laude canentium.
Huc raras pretio fert, et odoribus,
Umbra huc perpetua fert humus arbores,
Huc fontes vitrei dulce strepunt, aves
Docto et gutture personant.
Ingens in medio marmore conditum
Templum quatuor a frontibus optime
Pilis dispositis excipit ęneis
Supra marmoreos gradus
Intrantes foribus; me Vigilum negat
Haud quisquam indugredi; auri jubar undique
Intus irradiat, tectaque sustinent
Columnę super indita

Spectandę maculis versicoloribus:
Templi sub medio fornice Numinis
Consurgit Solium, implentque sedilia
    Circum gemmea Virgines.
Hic pennas agitans continuo leves
Centum Fama potens auribus, oraque
Mittens per totidem, atque accipiens sonos
    Res, atque omnia Apollini
Pandit facta hominum; tum Deus agminis
Rector Castalii nomina digerens,
Seponensque modis apta cani, jubet
    Plectris edere murmura
Et voces numeris nectere idoneas
Natas Mnemosine; condita Delius
Servans at memori pectore carmina.
    Et succis lita citrinis

ar=

Arca deposuit clausa adamantina.
Hoc visa attonita et mente acroamate,
Actutum insolito res nova gaudio
Corda perfricuit mea.
Blandis abstiterat jam modulatibus,
Et sedes iterum quæque petiverat
Notas Aonidum, cum medio his Deus
Infit vocibus agmine.
O quę non memoranda ęvi ab origine
Has mecum socias incolitis Domos;
O quarum fugeret non sine munere
Cantus atra silentia
Virtus, nunc, Comites, promere vos opes
Omnes eloquii, nunc solito decet
Gratum excire magis vos fidibus melos:
Vestris expediam interim

Dignam materiem cantibus. Est deus
Telluris, mediam quam aggere terminat
Longo hinc Sontius, atque inde Liquentia,
Suevis orta Parentibus
Colloreta Domus, Semideum ferax
Prolis, perque alias didita Semine
Oras conspicuo, ac Sceptra tenentibus
Magnis par prope honoribus.
Hujus delicium, atque hujus erat modo
Gentis suavis amor Julia conjuge
Ante omnes Fabio, nec Fabius minus
Felix conjuge Julia.
Amborum Superis congrueret decor,
Morumque integritas, ambo virentibus
Annis, nec thalamus pectora vinxerat
Tam concordia amabili

Fe=

Fecundus sobole. Verum ea Iuppiter
Terras constituit fata colentibus,
Quidquid æthereo lumine vescitur,
Præscribat spatio ut brevi.
Illam, cui Charites lacte nitentia
Membra, atque os dederant suavius attico
Melle, illam Iuvenis fœdere candidi
Cui non ulla puellula
Ponenda ante fuit, nec sobole parens,
Abscisso rapuit stamine nescia
Flecti Parca, carentemque virum suo
Liquit sidere, fluctibus
Et mersum lacrimarum, pelago ut ratis
Iactata in tumido impellitur arbore
Cassa, incerta viæ, nocte sub horrida,
Ventis undique flantibus:

Aut Cervi similis, quem saturum, et toro
Fusum gramineo propter aquæ caput
Inventum gelidæ fixit arundine
. Venator peragrans juga.
Extemplo latus at vulnere saucia
Demissis super armos fera cornibus
Cautes aereas, et nemorum invia .
Cursu transvolat alites,
Fessum donec, et ægrum lateris cruor
Paulatim rapido avertit ab impete,
Et sternit scopulo, aut membra sub arbore
Mæstis vocibus ingemens.
Eja ergo, o Comites, plectra resumite,
atque aptate modis, carmine Julia
Digna est Pierio, quale Coronidis
Dudum in funere protuli;
Vel

Vel quali modo fatum lacrimabile
Brazzacchę decorasse hęc sacra Julię
Non ignara cohors, nomina et inseri
Fastis jussa perennibus.
Hic Phębus tacuit; protinus excipit
Agmen Virgineum tempora laureis
Sertis implicitum. Gesta Patrum refert
Clio, queis Domus utraque
Antonina cluet, Suevico et altera
Ducens a [1.] Liabordo genus inclitum
Virtutum omnigena laude per Italas
Crevit, perque Alamannię
Urbes, atque Virum prole potentium.
Dant plausus alię, nec face pectora
Contendunt juvenum arsisse calentius,
Illęsa magis aut fide.

Surgit funereis ultima tęniis
Vincta, et sanguineis horrida pallium
Guttis Melpomene, dicere quę gravi
Junctos exitio solet
Heroas, memoratque omnia luctibus
Męstis percrepuisse, omnia perditos
Fato Juliolę tristitia, omnia
Pullis fęda coloribus.
Cantus finierat: cętera barbitis
Laxatis iterum conticuit cohors.
Cętus consilii tum Deus arbiter
His sculpsit lapidem notis.
Quisquis conjugii fędera diligit,
Moresque antehabet sordibus aureos,
Te spectet, colat et, Julia, ceu jubar
Inter sidera Cinthię.

Cle=

Elegia.

Altera non Fabii nuper mage conjuge felix,
Nec juvenum Fabio lætior alter erat.
Par amor amborum castus, sine crimine mores,
Auri muneribus non superanda fides.
Sic Cephalum Procris, sic Thisbem Piramus arsit,
Penelopis celebrat sic quoque fama decus.
Nec minus his, juvenum forma præstabat uterque,
Ut Fabius dignus, Julia digna foret,
Succinctos chlamide aurata, pennisque decoros
Terga ministerio Regis adesse poli.
Insuper addiderat census fortuna beatos,
Et clarum antiqua nobilitate genus;
Addiderat Fratres, totidem decora alta Domorum,
Et socii natos pignora cara tori.
Conjugium merito felix hoc quisque vocabat.

Cui Superum dederat munera cuncta favor.
Aſt hominum ancipiti ſorteſ agitantur in urna,
Gaudiaque alternant ſępe, dolorque viceſ.
Occidit hic primiſ ferienſ vagitibuſ auraſ,
Quo alter moritur pubere, et ille ſenex.
Nec ſunt fata eadem cunctiſ; hic volvitur axe
Pręcepſ, hic morbo, hic ſauciuſ enſe cadit.
Ciprıſ apri dente extinctum ploravit Adonin,
Merſum Ceicem fluctibuſ Alcione.
Te quoque dira petunt, Juvenum pulcherrime, fata,
Et ſęvum conjux interitura dabit
Vulnuſ. Jam premitur lethali Julia morbo,
Corpore jam languet, jam fugit ore color.
Accitur medicę conſultuſ protinuſ artiſ,
Quamque valet miserę ferre rogatur opem.
Cauſę obſtant alię; tumidam ſe Julia dicit,
Additur et Fabii vox dubitantiſ idem.

Con=

Conveniunt dictis Medico quoque signa notata,

Creditur hinc alvum Iulia ferre gravem.

Heu! male sollicitis injectus mentibus error,

Sic fuerat sontum decipiendus amor:

Ceu cum Pasiphae fureret correpta juvenco,

Pollueretque toros Mirrha scelesta patris.

Hoc rerum fato nulla est via tuta medendi,

Fętę nam exitio pocula danda forent,

Aut expectandum donec non vera pateret

Iam soboles, at item tum dubitanda salus.

Ultima visa tamen potior sententia, letho est

Sic lethi infelix rapta puella metu.

Interea longo vires a tempore ducit

Morbus, cum ventris nullum aperitur onus.

Adproperant subito nil proficientia docti

Arte Machaonia pharmaca vecta mari

Indorum terris sub utroque jacentibus axe,

Qua profert Oriens lumina, quaque cadit.
Nec potus nullos hauserunt ora puellę
Lactis, quod fundunt ubera pressa caprę.
Omnibus expertis, non febris torrida membris
Decedit tamen, aut fit moderata magis.
Ad Superum tandem itur opem, largoque vaporant
Thure arę, et rutilant cereę ubique faces.
Hic Fabii pietas; natis comitantibus, ęgri,
Et Fabii Socrus rore cadente genis,
Forma olim celebrata Socrus, flavoque capillo,
Nunc atro in comtu funere męsta Viri,
Pallescensque metu Enatę, quę vota profundunt,
Quęve sacris spondent munera ferre tholis?
Orantum Superi ne justas temnite voces,
Et desideriis flectite corda piis.
Crudele est Fabium pro conjuge nolle precantem
Audire, et Matrem tradere vota Notis

Pro

Pro Nata sinere, infandos avertite luctus,
Et Colloretam ne cumulate Domum
Cladibus assiduis, qua non servantior equi
Est alibi, vestri nec mage honoris amans.
In cassum at cecidere preces, promissaque dona,
Julia sidereos est aditura choros;
Elysii ad valles properandum, et odora vireta
Est illi, certi sic voluere Dii.
Quid tam membra diu crudeli languida tabe
Ponere luctantis; sancta puella, refer.
Audio, nectit amor, Tabiique dolentis imago,
Natorumque tibi proxima cura moras.
Proh! grave discidium, proh! quanto hęc funera luctu
Stabunt, jam recolens deficit hęc animus.
At lapis hoc carmen, qui contegit ossa puellę,
Inscriptum referat, tristitięque notas.
Julia, cuncta modo, te sospite, lęta fuerunt,

Atra est, te erepta, nunc Fabio ipsa dies.

Hendecassillabi

Suevorum edite | | regio Parentum
Fabi sanguine, quid tui madescunt
Imbre perpetuo cadente ocelli?
Infixumque gerens doloris alto
Vulnus pectore non diu quiete,
Noctu vel recreas sopore membra?
Loquarne, an sileam? refugit ęgra
Mens luctu, gelidusque stringit artus
Horror continuo. Puella sextum
Prȩter Iulia nondum adulta lustrum,
Vitę delicium, tuique amores,
Intacta nive, lacte vel recenti
Pectus candidius gerens, Deumque
Ad nutum egregiam indolem, aureosque

Mo=

Mores compositos; popelli egentis
Spes, atque auxilium, reliquit orbum
Te modo sobolis Patrem tenellę,
Solumque in medio agmine, ac nitente
Pleno jamque die undequaque septum
Nocturnis tenebris, malisque curis.
Heu! quam labile, quam breve, et caducum
Est quodcumque bonum, inscii futuri
Quo se se hic homines putant beatos.
Unda mobilior, fugaci et aura
Fortunę rota, vel citatiore
Ruens impete mors agris procella
Statim, et frugibus advehente stragem,
Momento citius volantis horę
Evertit Priami Domum potentis,
Quaque alte steterant Palatiorum

Moles, curva trahunt boves aratra.

Epigramma.

Digna mori numquam pietate, atque indole sancta
Ante diem fato Iulia succubuit.
Cum iuvene illius Fabio concordia Fratrum
Pectora mestitia pressa fuere gravi.
Inclita Porciadum quoque Mater sanguine caesa
Tam diro exanimis reddita pene fuit.
Quippe adeo pulcra, et casta pereunte puella,
Omne illis periit gaudium, et omnis amor.

Cum . . . .

Ante diem fato Iulia succubuit.
Digna mori nunquam pietate atque indole
Moles, urva trahunt boves aratra

In obitum

Nob.^{e} Co.^{te} March.^{se} Juliæ

Ex Co.^{um} Antoninorum Utinensium

Clarissimo Genere

Nob.^{s} Co.^{s} March.^{s} Fabii de Colloreto

Utinensis

Conjugis castissimæ, suavissimæ

Carmina

Nob.^{i} Co.^{i} March.^{i} Philippo de Colloreto

ejusdem Fabii

Spectatissimo, ornatissimo Fratri